

hanc explicationem, etsi magistrorum nostrorum non probant, sed suae cau-  
sae exuuias Philippi quoquomodo accommodant eo cum successu sicut est  
apud Plutarchum de pueris, qui induunt grandes cothurnos.<sup>177</sup> Axioma est  
Philippi: „Christum adesse non propter panem, sed propter hominem.“<sup>178</sup>  
Ideo, vt seiungant se ab illis, qui pugnant de pane, affirmant nullam cogitari 5  
debere alligationem ad symbola, sed tantum hoc vtraque manu tenendum,  
corpus Christi vere et substantialiter infundi vel exhiberi homini. Praeter dic-  
ta vero scripturae, quae promittunt de copulatione credentium cum corpore 10  
Christi, allegant veteres, qui vbi de corporali vnione Christi et piorum  
loquuntur, respiciunt ad hanc coenam mysticam. Incredulos dicunt non per-  
cipere vacua signa, sed manducare quidem eos verum corpus, sed illud non  
vniri cum ipsis atque ita concludunt symbola non esse inania et vacua signa  
absentis corporis, vt pars aduersa dictat, sed signa exhibitua veri et sub-  
stantialis corporis modo inperuestigabili atque ita, cum nobis promissio facta 15  
sit de natura humana Christi, non debere nec posse eam restringi tantum ad  
diuinam. Ista ferme summa est eorum, quae a parte aduersa dicuntur. Nos  
enim neroos et praecipua capita negotij non vero bilem, venena et acerbis-  
simas criminationes recitare aut redarguere volumus. Breuiter igitur nostram  
subiiciemus sententiam.

Celebre apophthegma est philosophorum doctrinam ex veris extractam fun- 20  
damentis omnes contrarias obiectiones dissoluere. Ideo illi, qui veritatem  
simplici studio quaerit nec vllis cupiditatibus motus ambitionis aut similibus  
irretitus haeret, facilis est explicatio. Manifestum est ex illuuiie pontificia  
haesisse in nostris has sordium reliquias. Quare communis erit refutatio. Et  
primum miramur sane quali-[56:]nam fato multi excellentes ingenio et doc- 25  
trina detineantur in tanta opinionum caligine, vt non agnoscant, quam male  
sibi hoc ipsorum dogma constet.

Obiurgatur pars aduersa, quod in propositione coenae recipiat tropum neque  
ipsi interea videre volunt, si tropum reiiciunt plane et necessario stabiliri μετ-  
οντοί. Atqui ea ipsa fuit causa, cur scholastici sua comminiscerentur, quia 30  
verba, panis est corpus, sonant de conuersione. Neque enim ita fuerunt  
amentes, vt sibi aut aliis persuadere conarentur posse retineri intellectum  
crassum, vt ita dicam, vocabulorum admissa aliqua specie figurarum. Iam  
isti nostri peritiores grammatici, cum videri velint abhorrere a conuersione  
vel mutatione illa, quam necessario verba ea ratione intellecta confirmant, 35  
tamen aut contemnunt tropum aut etsi tropum vt aliqui faciunt accersunt τὸ  
ρητόν vt aiunt retainent. Praeterea donemus illis sane synecdochen, quam re-  
ferunt ad panem et dicunt ideo esse commodam, quia etiam in vsu Paulus  
adhuc nominat symbola panem et vinum, – etsi profecto pontificiis non deest

<sup>177</sup> Vgl. Plutarch, *Quaestiones convivales* IV, 6, 2, in: Plutarch, *Œuvres morales*. Bd. 9/2, hg. v. François Fuhrmann, Paris 1978, 44.

<sup>178</sup> Philipp Melanchthon, *Iudicium de coena Domini* (1560), in: CR 9, 962 (MWA 6, 485, 12–15).